



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Symbolum XVII. E seminatis draconis dentibus nascuntur milites.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

SYMBOLVM XVII.

E feminatis draconis dentibus nascuntur milites.

3. *Metam.*

Ethicè.

1. Bos laboris Symbolum. 2. Semina belli. 3. Quale conjugium fit felix.

CAdmus à parente Agenore, rege Tyri ac Sidonis, quod memoravimus, missus ad perquirendam sororem suam *Europam*, quam Jupiter in taurum mutatus, abstulerat in insulam Cretam; eam cum longa inquisitione indagare non potuisset frater, nec ad patrem iracundum sine sorore redire sustineret, non procul à Parnasso monte confedit; ibique Appollinis oracula hausit, urbem id loci condendam, terramque *Baotiam* vocandam, (Aonia prius dicebatur) ubi bos itineris dux in herba requiesset.

Dum longius puellam inquirendo progrediuntur, fortè Cadmum ac Socios viæ aqua defecerat; quare mittit quosdam ex illis, petitum undam è fonte proximo. In haurienda aqua occupatis, ecce tibi, horrendus draco deserti illius loci incola, ex improvísò apparet, paventes subito invadit, & ad unum omnes perimit. Cadmus comitum suorum reditum nequicquam præstolatus, cum nulli comparerent, ad pervestigandos viros abiit. Quorum dum vestigia legit, videt immanem serpentem; in quem frustra missilibus coniectis, statuit cominus cum eo congressi. In virtutem cessit audacia; adacta per cervicem belluæ hasta, portentum interemit. Victoriæ lætitiã detrivit dolor ex amissione sociorum conceptus; quid jam ageret, fidæ manus præsidio destitutus, quam urbem in regione peregrina solus & ignotus ædificaret? Hærentem in dubio, Pallas (virorum fortium & bellicosorum faulrix) insperatò delapsa per auras monet, exemptos ut draconis dentes, ceu semina, spargat humi. Facit, quod erat iustus Cadmus, dentes è rictu virulento excutit, osseam sementem jactat, & inarat terræ. Quid mirius? repente seges apparet virorum, hastis & clypeis armatorum, belli simulacra cientium. Cadmus terrore completus, ubi vidit vim parari, unus adversum multos decertare constituit. Nec mora; quos ut hostes timebat,

bat, conspicit mutuis in se cædibus coortos, ad unum omnes concidere, exceptis duntaxat quinque, quorum adminiculo, Thebas urbem eo ipso in loco condidit, & regionem Bæotiam vocavit. Rebus tam præclare gestis, præmium meruit, ab ipso Jove dandum. Et hoc non aliud fuit, quàm *Harmonia*; Martis & Veneris filia, virgo lectissima. Dona nuptialia à Dijs omnibus contributa. Ceres frumentum est largita, Mercurius lyram donavit, Vulcanus pretiosum monile, Pallas artis raræ flammeum: Cybele cymbala & tympana contulit: Apollo & Musæ hymenæum cecinerunt.

Ethica.

Prima instructio.

I. (a) Cadmus bove duce ad Parnassum Musarum montem, & Castalij fontis antrum devenit. Laboriosum bos animal docet eruditionem sudore ac labore comparandam. Veteres ut Symbolum laboris exprimerent, bovis caput pingebant aut sculpebant, Pierio teste. Et verò inter ornamenta sculpturæ etiam hodie videntur capita bovina, lemniscis, floribus & coronis redimita: ut indicetur, honores esse fructum laboris. Equi celeritate, boves viribus & assiduitate pollent, denotantque laboriosam constantiam, non desultoriam curiositatem; fortiùs figunt pedem, & nervosius sulcant terram arando; hinc radices profundius actæ & copiosius inde surgentes fruges proveniunt Nec temere bos est Apollini sacer, juxta illud Maronis:

Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.

Nam si omnia alia labore constant, quanto magis ingenuæ artes conatum requirunt indefessum & pervigiles curas. Cadmus quærendo forem Europam, habuit Apollinem auspicem itineris, ducem bovem. Quisquis sapientiam, quam regum intelligentissimus Sap. 8. *quæsit sibi Sponsam assumere*, & alibi forem vocavit, virginem utique lectissimam inquirat, is meminerit Apollinem, hoc est, viros doctos sibi consulendos de via: Ductorem verò ac comitem adhibendum bovem, id est, laborem. Neque est, quod lentitudinem hujus animantis incuset; sat citò progredieris, si sat benè. Amor ipse discendi si cum labore jungetur, *addet alas*, & bovem, qui D. Lucæ, liberalium artium Patrono, consecratus est, pennatum reddet, & expeditiorem Pegasò.

II. (b) Altera instructio, Væfana bellandi cupido est compescenda. Viri galeati è dentibus feminatis exorti, sunt *Bella*, quæ concitantur Procerum sævis & ambitiosis consilijs, ac linguis vipereo veneno plenis.

(a) Bos laboris Symbolum. (b) Semina belli.

nis. Paucorum divitiæ, cunctorum faciunt inopiam: & de provinci-
rum lacrimis, funesta improborum gaudia faginantur. Istorum ambi-
tio, populorum sanguine, urbium excidio, provinciarum vastitate sa-
turatur. Quas parari classes, quæ arma moveri, quas urbes excindi,
quas gentes obrui oporteat, horum sententijs agitur. Hi de fortunis
& sanguine hominum decernunt, ut amplitudini suæ serviant; & priva-
to odio res publicas gerunt, fortunæ suæ miserorum exitio litantes. Li-
bido dominandi nunquam non causas bellorum habet; & ut habeat,
occasiones seminat. Merito Sallustius: *Vna, & ea vetus causa est
bellandi, profunda cupido imperij, & divitiarum; nempe ambitio & ava-
ritia.* Hæc est bellorum sementis, hæc milites velut malas herbas pro-
ducit, sed non raro in autoris calamitates, & intestinas clades eruptu-
ros. Non uno in loco S. Historia narrat, Israëlitarum hostes mutuis in-
semetiplos cædibus sæviisse. Judic. 7. Madianitæ ad militarem He-
bræorum clamorem, ductore Gedeone, mutua se cæde truncabant. 1. Reg.
14. Philisthæorum *versus fuerat gladius uniuscujusque ad proximum suum.*
2. Paral. 20. Ammonitæ & Moabitæ ad preces religiosissimi Josaphati, in *se-
metiplos, mutuis occidere vulneribus.* Hic fructus ex Cadmæa segete surgit.

III. (c) Tertia instructio. Cadmus in uxorem duxit *Harmoniam*
feu *Concordiam* in concentu, Dijs, hominibusque plaudentibus. O felix
conjugium, in quo concors morum similitudo jungit amantes! Hac
harmonia nihil est jucundius, nihil suavius. Huc quadrat illud Proverb.
cap. 19. v. 14. *Domus & divitiæ dantur à parentibus: à Domino autem
propriè uxor prudens.* Septuaginta Interpretes vertunt: *Domum & sub-
stantiam dividunt patres pueris, à Domino autem aptatur mulier viro.*
Græcè pro *aptatur*, habetur *ἀρμόζεται*, ab *ἀρμόζω* quod idem est,
ac *congruo*, *adapto*, *quadro*, *compono*, *conglutino*, *tempero*; &
maximè spectat ad Musicos, qui voces diversas, graves, acutas,
medias inter se contemperant, ut suavem concentum & harmoniam
efficiant. Hanc inter maritum & uxorem solus Deus efficere potest, quī
solus novit & pervidet affectiones ac conditiones conjugum; unde nu-
ptijs Cadmi & Harmoniæ finguntur ipsi Dij interfuisse, suaque dona
contribuisse. Et verò non omnis uxor, etiam bona, cuilibet viro est
congrua, v. g. tristis non est commoda læto, nec pauper diviti, nec ple-
beia Principi, nec liberalis tenaci, nec lenis austero, & ita de cæteris.
Hæc harmonia si absit, quæ potest esse voluptas, quæ felicitas in connu-
bio, ubi quod vult maritus, non vult uxor: quod ille amat, hæc odit;

L. 2.

cūm

(c) *Quoddam connubium sit felix.*

cum ille lætatur, hæc tristatur. Et, ut in re musica persistam, cum ille vult fides contendere, hæc remitti postulat: ille submissius tangi, hæc concitatus pulsari: ille carptim peccati, hæc pleno strepitu verberari; ille cantum suspendit, hæc tinnire nunquam desinit. Quare ut in citharis, lyris, organis non satis est, ut chordæ, fistulæve gratum reddant sonum, sed opus insuper est, ut contemperato inter se modulatu respondeant; sic in societate conjugali non sufficit vel maritum sibi, vel uxorem sibi esse bonam, sed ad dulcem concentum efficiendum requiritur consensus & concordia affectuum, velut fidium. Præclare S. Ambrosius lib. 3. epist. 25. ad Eccles. Vercell. *Mulier, inquit, viro deferat, non seruiat: regendam se præbeat, non coercendam; Indigna est conjugio, que digna est iurgio. Vir quoque uxorem tanquam gubernator dirigat, tanquam consortem vite honoret.* Sed quid hoc, quid Cadmus & Harmonia iuxta votum suum in serpentes versi, sese mutuo lambendo in Elysios campos beneficio Jovis irreperint? Ovid. lib. 4. Metam. Mythologus lib. 9. cap. 14. Nimirum, qui in vita conjunctissimi vixerant, etiam morituri, & in terram ituri, quod per serpentes humi repentes denotatur, noluerunt divelli, meriti que sunt ob raram concordiam Beatorum sedibus admitti. Vide symb. 97. de caduceo Mercurij.

SYMBOLUM XVIII.

Actæon in cervum migrat.

3. Metam.

Ethicè.

1. Venationis damna. 2. Parasiti & assentatores. 3. Ingratus animus. 4. Concitatores factionum. 5. Cura pudicitia.

Fuit Actæon filius Aristæi herois, & Autoonæ, Cadmi filia. Hic cum venationis studio supra modum deditus esset, & imprimis circa loca Garaphiæ vallis, & Megaris, Platais que urbibus vicina, numerosa canum sequelâ infectaretur, accidit fortè, ut sole æstuans, sudore madens, venatione lassus vicinum fontem peteret, ibique Dianam, perpetuæ virginitatis custodem, cum Nymphis lavantem conspiceret.

Sensit